

37

PARENTATIO
ILLVSTRI AC FOR-
TISSIMO HEROI AC
Domino,

D. G. VILHELMO
TRCZKADELIP-
PA & C. QUI POST MA-
GNOS, MVLTOSQVE BELLI VNGA-
rici labores in defensione Agrensis arcis, cum esset ter-
tium Dux peditum Bohemicorum, à Turcis captus,
& in carcere Tyrannico anno Christi 1597.
piè & laudabiliter extin-
ctus est.

Scripta à
MATTHIA RADDA
Chrasteno,



SERVESTAE,
Imprimebat Iohannes Schlier, Anno 1598.



PRO GVILHELMO DE
ROSENBERG, ET GVILHELMO
TRCZKA DE LIPPA.



Vis Roseberge tuas virtutes laudibus æquet?
Ornatu eloqui Tullius alter eras;
Ingenio promptus, moderatè cuncta gerebas,
Guilhelmis parte hac eripis omne decus,
Per te florebant Patriæ feliciter oræ;
Per te habuère suum, jusque, quiesq; locum,
Quis, Guilhelme, tuis laudes virtutibus æquas,
Trczka, feret, Patriæ qui novus Hector eras?
Marte potens, animoq; potens ante omnibus ibas,
Isthoc Guilhelmis præripis omne decus,
Per te Pannoniæ sperabant regna salutem;
Per te erepta Scythis præda cruenta fuit,
Sed paucis vestros nemo numerare labores,
Et curas, & tot strenua facta queat,
O Deus, ô nostræ Patriæ si sorte moveris,
Guilhelmos nobis suffice, quæso, pares,
Consiliis alter Patriam ut tueatur, & armis
Alter: at in laudis nomen uterque tuæ.

Georgius Dicastus Mirs-
covinus.

Memoriae Illustris & generosi

Baronis ac Domini, Dn. Guilhelmi
Treczkae, &c.

Hic fratris pietas tumulum tibi ponit inanē
Treczkae, tuum Scythicus nam latro corpore
habet.

Qui captum enecuit squalenti carceris antro:

Hoc defensa tuo Agria Marte dedit.

Non tu corpus eras sine pectore; qualia passim

Cernere telluris pondera vasta licet.

Et genus, & formam dederat tibi numine dextro,

Fortunaq; Deus, munera, mentis opes.

At tua spirabant animi plenissima magni,

Pectora militiam, praelia, castra, duces.

Hic amor, hoc studium: hinc tironem Gallia vidit,

Pro rege haud trepida surgere in arma manu.

Hinc juvenem Granus, juxtaq; binominis Ister

Miscentem stupuit praelia Thyssagetis,


Philleciumq; tuo, nec non Hatvanica ductu,

Hoste neci missa, mœnia versa solo.

His ævum implesti meritis, maturior annis,

Treczkiadum prisca nobilitatis honos.

M. Gregorius Berßmannus Gymnasii Serve-
-stani in Anhaltinatu Rector.



ILLVSTRIBVS ET GENEROSIS BARONIBVS AC DOMINIS, D. IOHANNI RODVLPHO, VELISSII, KVMBV RGI, DRZEVENICII, LIPNICII, LEDECII, SVIETLAE, ZIELIVI, &c. Domino, Cæsareæ Majestatis Confiliario: & D. IAROSLAO, OPOCZNAE & SMIRZICII HAEREDI, &c. ANTIQVISSIMA TRCZKARVM à LIPPA familia natis, patruelibus: Musarum fautoribus, Dominis & patronis meis benignissimis, salutem & summam felicitatem precor.

Ngens dolor est, Barones Generosissimi, orbem Christianum propè universum incendio belli Turcici, quod jam in annum quintum continuè gliscit, tantoperè misceri: neque adhuc ullam spem futuræ pacis & respirationis affulgere: Sed doloris illius magnum etiam solatium apparet omnibus bonis, dum vident, inveniri tamen, Dei beneficio, aliquos heroes: qui pro nomine Christi, & pro salute publica contraria arma sumere, adeoq; vitam & fortunas suas ad reprimendum communem hostem impendere non dubitent. Licet autem hac tempestate belli Italia, Gallia, Germania, & Vngaria hosti vicinissima, multos virtute & genere illustrissimos Duces pro tutanda, promovendaq; re Christiana hæctenus suppeditaverint: qui non sine magnis, crebrisque victoriis partim inter arma vitam profuderunt, partim in captivitate Tyranni extincti sunt, partim denique vivi & ineolumes adhuc superant, major que virtute in hostem se præparant: tamen nostra Bohemia, memor antiquæ suæ virtutis, non inferiorem se in hoc genere officii præbuit: dum inter alios animosissimum heroa Guilhelmum Trczkam vestrum patruelem, fratremque dedit; qui relicta domi amplissima hæreditate, amore Christi & salutis publicæ, expugnationibus Phillekii, Istrograni, Chatvanii, aliarumq; munitio num in Vngaria celebrium non solùm interfuit, verùm etiam magna ex parte præfuit; adeoque operam ad obtinendas victorias admirabilem navavit: donec tandem in defensione Agriæ, post expugnatam eandem arcem, in captivitatem Turcicam unà cum aliis quàm plurimis nobilissimis militibus abductus,

abductus, in carceris teterrimo squalore, fidissimus Christi miles honestissime, sed non sine ingenti vestro, & omnium bonorum luctu, vitam cum morte commutavit. Cujus virtus planè Achillea cum hodiè apud omnes nationes magna cum admiratione commemoretur, prædiceturque, non dubitavi ego mea Parentatione testimonium ei perhibere, ad eamque celebrandam alios, qui mihi in studio Poëtico palmam præripuerunt, excitare.

Hanc itaque meam opellam, licet admodum tenuem, ab optimo tamen, & Trezkonii generis studissimo animo profectam vobis, Generosissimi Barones, humiliter dedico: quam ut dignemini clementer accipere, meque vestro patrocinio comendatum habere, omni animi subiectione oro.

Deus, penes quem est totius mundi imperium, Vestram Magnificentiam, vestrumque genus antiquissimum clementer quam diutissime pro gloria sui nominis, & Ecclesiæ salute, cui in vestris territoriis præbetis tuta halcyonia, conservet & augeat. Valete felicissime.

Vestram Magnificentiam

humiliter colens

*Matthias Radda
Chrastenus.*



A 3

Scilicet



Scilicet hos nobis luctus, hac fata canebat
Ille tuus, GVILHELME ardor, quo tem-
pore Bojis

Urbibus Eorum cogebas agmen in hostem.

Miratæ matres juvenem, mirata virum vis:

Circumfusa Ducem Martis, precibusque sequuta,

Victori Geticos prono tibi corde triumphos

Optabat, laudem superis, patriæq; salutem:

Ausonio decus imperio, pacemq; Monarchæ.

Nec vota hæc tenues perierunt sparsa per auras:

Sapè per infidas grassatus cæde cohortes

Victrices Getico maculasti sanguine dextras:

Sapè trophæa tuis rapuisti hostilia dextris:

Donec post varios casus, post mille labores

Gradi vi Agrenses defendens fortiter arces

Captus, obis pulcræ fusæ sine sanguine mortem.

Heu spes Vngaria, patria spes inclytæ terre:

O flos Trczkiadum: quæ vis temeravit honores

Flos generose tuos? quæ tanta licentia Parca?

Sed benè habet: suaves exhalans pulcræ odores

quæ hi Occidis,

Occidis, & magnum famam diffundis in orbem
Da veniam inculto comitanti funera versu,
Da veniam mihi: non deerunt, Generose, Marones,
Qui tua grandiloquo peragant praconia versu.
Me modo funereos liceat tibi pangere honores,
Atque sequi laudum fastigia summa tuarum:
Viderat Austriaca Romanus origine Caesar
Ottomanigenam temerato foedere pacis
Funesta imperio moliri praelia ferro,
Christicolamque omni cum stirpe excindere gentem.
Non tulit hoc; patriaque pio succensus amore,
Et regno metuens, quod à caeli Numine sceptro
Temperat, & Christi divos tutatur honores:
Consultuit Reges, jurataq; pectora regno
Romano, ac fortem Getico sese obtulit hosti.
Dum Mahometigenum, tua SAVE fluenta, cruore,
Albanosq; aspersit agros, ubi mortua Regum
Corpora Peonidum bustis composta quiescunt
Marmoreis, famamq; Urbis cum nomine servant.
Aut dum Phillekius magna vi coeperat arces,
Vicinosq; fuga dare terga coegerat hostes,
Perjuros ultis socios: perjuriam poenas
Pendunt: perjuri: poenas dedit improbus hostis.
Sed velut est duri nimium sors lubrica Martis,
Et

Et quandoque redit victis in pectora virtus,
Victrices Aquila diversa per aequora sparsa
Deseruere acies, Laurinasque insuper arces
(Heu dolor, atque nefas) hostilis dextra subegit
Continuo vires, accendit conscia virtus
Caesarias, fidosque Duces sub mania duxit
Strigonii: Boja quos inter gloria gentis
GVILhelmus veteri Trczkarum sanguine cretus,
Agmen agens peditum, mediis fulgebat in armis.
Olli versicolor clypeus, vexillaque Martis
Et litui (bello peperit quaestemmata virtus)
Pingebant galeam fulgenti ex aere rigentem.
Auspiciis tandem superum, fidoque labore,
Quo fuit ante alios melior Trczkonius heros,
Accipiens gelidas Grani Ister fervidus undas
Ad Latios rediit fasces, urbemque potentem
Restituit Christo, Christum simul ipse recepit.

Interea magnum Sol circumvolvitur annum,
Sanguineoque iterum Bellona accincta flagello
Cogit ad arma Duces: qui Christi à partibus ibant
Trczkonides illis jungit se, in utrumque paratus,
Seu superare hostem, seu pulcra occumbere morti:
Ergo Chatvaniam socius consedit ad urbem:
Primus in hoste fuit, superavit mania primus

Ascensu

Ascensu audaci, primus victricia signa
Ostentabat ovans muris, hostemque premebat.
Ventum erat ad summum: picea caligine nubes
Densantur: strepitu horrifico cælum omne remugit:
Subversa aratis sternuntur mœnia nimbis.

Fit via vi, rumpunt aditus, Turcasq; trucidant
Christicolæ subito immisi: juvenumq; senumq;
Occidunt animas veræ pietatis inanes.

Ac licet hic ducibus fierent consortia multis,
Quos Italus, quos Teuto dedit, quos Pæonis ora:

Adjecit: Ducibus proles Trczkonia cunctis
Fortior hostiles superabat robore muros.

Antiquam Boji virtutem militis una
Ostendit, qualis gens illa in Teutonas olim,
In Mediolanam quanta armis extitit urbem,
Sic quando Argolicis Neptunia Troja sub armis
Merebat bello, non dux fuit unus in illo:
Sed gemini Atrida, Nestorq;, & cautus Vlysses:
Pyrrhus, Tydidesq;, & Larissæus Achilles:
Fortius at cunctis se vultu pugnabat Achilles.

Fama hæc hostiles volitans perlabitur oras,
Bosphoriamq; implet fauces, Byzantiaque altis
Mœnia structa jugis, ubi Thracius arce Tyrannus

B

Obscæno

Obscæno infandos Mahometo indicit honores:
Contemptorq; Dei, Christi qui nomen adorant
Odit, & horrendo festinat perdere letho:
Improbis humanum rabido sitit ore cruorem,
Cuius ubi diras eadem fama advolat aures,
Chatvaniamq; refert cladem, victrici'aque arma
Christiadium, totas irarum effundit habenas:
Ardet in arma, omnem bello conquirat opum vim
Pannonico, Agrensem furibundusq; obsidet arcem.
Sola hac hostiles aditus prohibebat ab oris
Sarmatiae, Vngarico sola hac fortissima regno
Restabat, valida certabatque amula Buda
Quam, simul adventum presensit & arma Tyranni,
Occupat, & fido GVILHELMVS milite complet,
Vestrum opus hic Vates quos carmen ad ardua vexit,
Queis Cyrrhae sacer porrexit pocula Phæbus:
Vobis tam validum fas est contexere Martem,
Castra referre hostis, numerumque & militis agmen:
Sive illum nigris Meroë fecunda colonis;
Sive Scythia tellus misit, Meotica'que unda,
Gangesq;, & Rhodope, Tygrisq; & Pelion ingens:
Sive Pelusiæ pharetratus venit ab oris:
Quo strepitu armorum fossas, quanto impete vallos
Oppugnârit

Oppugnàrit ovans hostis, quantoque fragore
Machina sulphureas jactàrit abenea glandes
Muros dejiciens, aditusque ad limina pandens:
Christicola contra, statione ut quisque manebat
Concessa, numero exigui, sed fortibus ausis
Insignes, duce GVILHELMO pro mœnibus altis
Pugnantes, magno confertos agmine Turcas
Saxis, atque globis pugnàrint, sanguine muros
Hostili opplerint: quàm millia multa Getarum
Tradiderint Stygio, Parcis gratantibus, Orco.
Vos hæc carminibus vates comprehendite vestris,
Me mea per cœptum deducat Musa laborem.

At Mahometigenæ dextrâ superante Tyranni
Martia disjectis dum capta est Agria muris
Vnâ heros (multos ubi vitam lethiferensis
Poscit, & horrendas mortis demittit ad umbras)
GVILHELMVS capitur: toties per acerba sequutus
Vulnera mortis iter, vivus descendit in antrum
Carceris, & stricto iuga fert servilia collo.

O sortem indignam! non illum in dira ruentem
Prælia, non toties hostili à cæde rubentem
Sanguine Strigoniis potuisse occumbere campis?
Christiadum, Scythicis ubi tot cecidere pharetris,

Illustres heroës, ubi correpta sub undis
Tot tela, & galeas, tot fortia corpora volvit
Heu nostris, toties heu, cadibus Ister inundans:
Non, dum Chatvaniam terra prosterneret Urbem,
Agrensemq; suis arcem defenderet armis,
Sive globo, aut stricto vitam dimittere ferro?
Sed non hic Geticis effundi debuit armis,
Sanguis, & hostilem fama cumulare triumphum:
Mitior aeterno mors illi debita fato
Squalentes inter sordes, & vanaq; mephitim
Carceris, agrotos moribundo solverat artus,
Cœlestem mittens animam: volat illa per auras,
Et recto ad superas defertur tramite sedes,
Heroumq; choros auget, qui vulnera passi
Pro Christo, & patria chara pugnando salute,
Victricesque gerunt palmas, cantusque frequentant.
Sic te per varios Heros exercite casus
Inimicos inter Turcas, hostesque potentes
Invidiosa tuis juvenem mors abstulit ausis.
Non licuit fratri tua funera IAROSLAO
Muneribus decorare piis, patruove RODVLPHO
Magnifico tantum genus exornare sepulchro.
Sed non ista tuos fors obscurabit honores;

Laus:

Laus tua maior erit, quam si tellure Bohema,

Si consanguineos inter defunctus amicos

Ad tua regales spectares funera luxus.

Scilicet à magnis quoties heroibus olim

Mentio facta Ducum fiet, qui praelia forti

Pro patria gessere manu, pro nomine Christi;

Tu toties merita cumulabere munere laudis:

^{scilicet} Historicique suis dum bella hæc Vngara scriptis

Mandabunt, nomenq; tuum, laudesq; notabunt.

Nec minus Aonij vates, quibus una voluptas

Belligeros celebrare Duces, & carmine gesta

Condere, sublimi pangent tua praelia versu.

Sic, o sic nostra faveant pia numina genti;

Sic alios simili proceres virtute gubernent;

Vt Mahometigenam, qui se vis horridus armis

Christicolas, Christumq; petit: qui nititur omnem

Europa miseris incendere cadibus orbem,

In Propontiacas, fracta virtute, cavernas

Propellant, victoq; ex hoste trophæa reportent.

CHRISTE tuum est bellum, bello tu suffice

vires

(nostris.

CHRISTE tuo: faveas ducibus Dux maxime


Te malus ille suis tandem experiatur in armis,

Et

*Et sciat esse Deum, qui cœli sceptriger omnem
Imperio frenas mundum, qui numine magno
Pro nobis fera bella geris, pacemque, reducis,
Sic nos à Geticis tuti te vindice dextris,
Donec erunt stellæ, donec lustrabit Olympum
Phœbus & Angelico resonabunt sidera cantu,
Te superùm grato regem celebrabimus ore.*

FINIS,





Pol
Eger



Be 231

8

Di.

ULB Halle 3
002 690 756




56.

VD77







PARENTATIO
ILLVSTRI AC FOR-
TISSIMO HEROI AC
Domino,

D. GVILHELMO
TRCZKADELIP-
PA & C. QUI POST MA-
GNOS, MVLTO S QVE BELLI VNGA-
rici labores in defensione Agrensis arcis, cum esset ter-
tium Dux peditum Bohemicorum, à Turcis captus,
& in carcere Tyrannico anno Christi 1597.
piè & laudabiliter extin-
ctus est.

Scripta à
MATTHIA RADDA
Chrasteno,



SERVESTAE,
Imprimebat Iohannes Schlier, Anno 1598.

37

26.